

etiam scrutari, cognoscere et audire legatur; ac præterea Joan. 15. 26. pronomen masculinum neutro generi adjunctum personam demonstret.

Præterea quamvis vox πνεῦμα plures patiatur significationes, et æqualiter energiam ac rem subsistentem significet; quotiescumque tamen cum suo articulo ponitur, rem certam et singularem indigitat, eo quod articulus Græcorum ex horum grammatica sit nota singularitatis. Ex hoc sermonis usu Didymus L. 1. de Spiritu sancto observat in Scripturis Spiritum sanctum ut plurimum non dici simpliciter πνεῦμα, sed τὸ πνεῦμα cum articulo; contrarium autem fieri, ubi de spiritu alio quam sancto est sermo. Excipiuntur quidem a communi hac regula juxta aliquos textus nonnulli, nempe Joan. 3. 5., 1. ad Cor. 12. 11. et Ep. Jud. v. 19.; sed in prioribus supplet contextus, et aperte inter auctorem regenerationis et charismatum ac inter ipsam regenerationem et charismata distinguitur; in postremo autem non persona Spiritus sancti, sed pium desiderium intelligitur. Quod verò τὸ πνεῦμα cum articulo interdum dona Spiritus sancti significet, ut ad Eph. 4. 23., 1. ad Thess. 5. 19. et 1. Joan. 4. 1. fit, figura est *metonymiæ*, qua pro effectibus persona effectrix ponitur.

ARTICULUS II.

AN QUELIBET IN DIVINIS PERSONA SIT VERUS DEUS?

344. *Nota.* Sicut sub Dei nomine intelligimus entis perfectissimi naturam, sic sub adjuncto VERI indicamus hujus naturæ realitatem, proprietatem ac plenitudinem; ut hinc a Divinitatis notione excludamus meram figuram, similitudinis duntaxat speciem, et imperfectionem qualemcumque ac diminutionem. Personarum autem divinarum appellatione indigitamus quidem Trinitatem, quin tamen ad notiones cujuslibet suppositi rationes ubique respiciamus. Quare Personam *primam* non tantum sub conceptu Paternitatis, sed sub ratione etiam Personæ improductæ et a se omnino existentis consideramus; in aliis quoque nec rationem Verbi præcise aut Filii, nec proprietatem Spirati spectamus: quamvis in probationibus, quæ de Verbo, Filio et Christo dicuntur, aut quæ de Spiritu sancto, Paraclito, Amore et Dono Dei habentur, fas sit referre ad Divinitatem *secundæ* aut *tertiæ* Personæ asserendam; cum eadem Persona illa sit in concretis prioribus, et ista sub posterioribus significetur. Neque tamen esse productum, quod utrique Personæ posteriori convenit, excludit a se rationem divinitatis. Cum enim esse divinum, utpote infinitum, sit communicabile omnibus, cum quibus oppositionem non habet; neque repugnet productum recipere eandem naturam, quæ est in producente; quas duas veritates, inferius probandas, hic interim supponere licet: facile intelligitur, et verum Deum posse esse productum; quia verus est Deus, quicumque naturam divinam realiter proprie ac plene obtinet, sive illam a se, sive ab alio communicatam habeat: itemque talem productionem nihil imperfectionis includere; quia natura divina, quæ omnem perfectionem includit, imperfectionis admittit nihil.

345. *Dico I.* Prima in Divinis Persona verus est Deus.

Prob. Prima in Divinis Persona dicitur et est Pater vel respectu Personæ in

divinis secundæ, vel respectu nostri, vel respectu non expresso: sed quocumque ex his modo profertur, in Scripturis sacris declaratur verus Deus; ergo.

Prob. 1^a. p. min. De Christo Joan. 5. 18. dicitur: *Sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*; ipse Christus ibid. 20. 17. ait: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*; Paulus 2. ad Cor. 11. 31. scribit: *Deus et Pater D. N. J. C. scit, quod non mentior*; et Petrus 1. Ep. 1. 3. *Benedictus Deus et Pater D. N. J. C. etc.*

Prob. 2^a. p. Paulus 1. ad Cor. 8. 6. inquit: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illum*; ad Gal. 1. 4. *Secundum voluntatem Dei et Patris nostri cui est gloria in secula seculorum*. Item in initio Epist. ad Rom., ad Cor., ad Thess., alibi quæpius: *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, etc.*

Prob. 3^a. p. Christus Joan. 4. 22. et 23. ait: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate: nam et Pater tales querit, qui adorant eum. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*; ibid. 6. 27. *Hunc enim Pater signavit Deus*; et Joan. 17. 3. *Patrem alloquens: ut cognoscant te solum Deum verum*. Confer quæ ad Ephes. 6. 25., 2. Pet. 1. 17. et alibi leguntur.

Conf. Pater in Divinis est vera persona, et est a se et improductus; ergo ratione *primi* debet subsistere in natura intellectuali, ratione *secundi* in natura improducta. Atqui natura intellectualis improducta non alia est, quam divina; ergo Pater subsistit in natura divina; ergo Pater est verus Deus. Unde nemo Hæreticorum, nec ullus etiam Infidelium, qui alias verum Deum agnoverunt, Patris personam sive illam quæ improducta est, in numero creaturarum posuit.

346. *Dico II.* Secunda in Divinis Persona est verus Deus.

Prob. Secunda in Divinis Persona triplici præsertim caractere ac nomine, scilicet Verbi, Filii, et Christi seu Messias designatur: sed sub quolibet horum caractere in Scripturis proponitur tanquam verus Deus; ergo.

Prob. 1^a. p. min. Joan. 1. 1. legitur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; ubi per *primum* sensum æternitas, per *secundum* personalis a Patre distinctio, per *tertium* essentia et Divinitas Verbi declaratur. Ep. 1. Joan. 1. 1. et 2. scribitur: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est: et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis*; ubi per τὸ quod fuit ab initio, per τὸ quæ erat apud Patrem, et per *vitam* tum simpliciter tum *æternam*, tria illa dogmata rursus ac eodem ordine demonstrantur. Apoc. 19. 13. dicitur: *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei*; de eo autem sic appellato legitur ibid. v. 11. *Vocabatur fidelis et verax*; v. 12. *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex Regum et Dominus Dominantium*: ex quibus nominibus *primum* est virtutis, *secundum* essentia ineffabilis, *tertium* potestatis ac domini; quæ si priori quod Personæ est, jungantur, Verbum esse verum Deum ostendunt.

Prob. 2^a. p. Joan. 1. 18. habetur: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. De eodem autem dicitur ibid. v. 14. quod sit *plenus*

gratia et veritatis, v. 15. quod prior erat Joanne, v. 16. quod de plenitudine ejus nos omnes accepimus, v. 17. quod gratia et veritas per eum facta est, v. 18. quod ipse Deum, quem nemo vidit unquam, enarravit; quæ collecta Divinitatem illius manifestant. Ad Hebr. 1. 2. et 3. scribitur: *Deus locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et secula; qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis suae, purgationem faciens peccatorum, sedet ad dexteram majestatis in excelsis*; et v. 8. *Ad Filium autem dicit: Thronus tuus in seculum seculi*. 1. Joan. 5. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna*; quo textu tanquam DEMONSTRATIVO nituntur S. ATHANASIUS L. de Incarn. cont. Arian. n. 22. et Orat. 3. cont. Arian. n. 9. et 19. alique quos PETAVIUS laudat de Trinit. L. 3. c. 9. n. 7.

Prob. 3^a. p. De Messia quidem ex Psal. 109., Jobi 12., 27., Jerem. 23. 6., Ose. 1. 7. et aliis pluribus, quibus in Tract. de Incarn. divinitas Messie ostenditur: de Christo autem testantur Thomas, Joan. 20. 28. dicens: *Dominus meus et Deus meus*; et Paulus tum Act. 20. 28. Ephesios allocutus: *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit in sanguine suo*; tum scribens ad Rom. 9. 5. *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*; et ad Philip. 2. 5. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo*; nec non ad Tit. 2. 13. *Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi*.

Conf. Cui conveniunt attributa, opera, et cultus officia soli Deo propria ac debita, verus est et per essentiam Deus: sed talem nobis declarat Scriptura sacra secundam in Divinis Personam; ergo.

Prob. 1^a. p. min. Inter ATTRIBUTA soli Deo propria praecipua sunt AETERNITAS Genes. 21. 33. et 1. ad Tim. 6. 16., IMMENSITAS Psal. 138. 7. et Jerem. 23. 24., OMNISCIENTIA Jerem. 17. 10. et ad Hebr. 4. 13., OMNIPOTENTIA Esth. 13. 12. et 1. ad Tim. 6. 15., et IMMUTABILITAS Num. 23. 19. et Jac. 1. 17. Sed haec omnia secundam in Divinis Personam conveniunt; ut quidem patet 1^o. de Aeternitate ex Mich. 5. 2. *Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio et a diebus aeternitatis*, et Apoc. 1. 8. *Ego sum alpha et omega, principium et finis, qui est, qui erat, et qui venturus est*: 2^o. de Immensitate ex Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo*, et Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*: 3^o. de Omniscientia ex Joan. 12. *Domine tu nosti omnia, tu scis, quia amo te*, et ad Coloss. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei*: 4^o. de Omnipotentia ex Apoc. 15. 3. *Cantantes canticum Agni dicentes: magna et mirabilia opera tua, Domine omnipotens*, et Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*: de Immutabilitate ex Ep. ad Hebr. 1. 10. et seqq. *Opera manuum tuarum sunt caeli: ipsi peribunt; tu autem permanes: et omnes ut vestimentum veterascent; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt*; et ibid. 13. 8. *Jesus Christus heri, hodie, et ipse in secula*: 5^o. tandem de reliquis omnibus ex Ep. ad Coloss. 2. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; ergo.

Prob. 2^a. p. Inter OPERA NATURE quae soli Deo tribuuntur, primaria sunt

CREATIO mundi Isa. 44. 24., creaturarum CONSERVATIO Act. 17. 28., EFFECTIO MIRACULORUM Psal. 138. 4.; et inter OPERA GRATIAE SUNT REMISSIO PECCATORUM Marc. 2. 7., REDEMPTIO et JUSTIFICATIO Psal. 129. 7. et Isa. 43. 25., PRAEDESTINATIO et GLORIFICATIO Matth. 20. 23. et Psal. 83. 12. Sed rursus haec omnia secundam in Divinis Personam conveniunt; ut quidem constat: 1^o. de Creatione ex Joan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil*, et ad Coloss. 1. 16. *Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, omnia per ipsum et in ipso creata sunt*: 2^o. de Conservatione ad Coloss. 1. 17. *Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant*, et ad Hebr. 1. 3. *Portans omnia verbo virtutis suae*: 3^o. de Effectione miraculorum ex plurimis factis in Evangelio notatis, maxime ex propria resurrectione et miraculis invocato ejus nomine patris, de quibus Joan. 2. 19. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud... ille autem dicebat de templo corporis sui*; et Act. 3. 6. *In nomine Jesu Christi surge et ambula*: 4^o. de Remissione peccatorum ex Matth. 9. 2. *Confide fili; remittuntur tibi peccata*, et v. 6. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata etc.* 5^o. de Redemptione et Justificatione ex 1. ad Tim. 2. 5. *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; et ad Rom. 5. 9. *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum*: 6^o. de Praedestinatione et Glorificatione ex Ep. ad Ephes. 1. 5. *Qui praedestinavit vos per Jesum Christum*; et 2. ad Thess. 1. 10. *Cum venerit glorificari in Sanctis suis*, et 12. *Ut clarificetur nomen D. N. J. C. in vobis, et vos in illo*: 7^o. denique de operibus universim ex Joan. 5. 17. *Pater meus usque modo operatur et ego operor*, et v. 19. *Quaecumque ille fecerit, haec et filius similiter facit*; ergo.

Prob. 3^a. p. CULTUS soli Deo debitus exhibetur per officia vel INTERNA fidei, spei et charitatis, quae hinc etiam actus Theologici audiunt, vel EXTERNA, scilicet genuflexionis ex Isa. 45. 24., adorationis ex Deuter. 6. 13., et invocationis ex Psal. 49. 15. Sed eadem officia debentur et exhibentur secundam in Divinis Personam, ut liquet: 1^o. de Fide ex Joan. 14. 1. *Creditis in Deum, et in me credite*: 2^o. de Spe ex 1. ad Tim. 1. 1. *Secundum imperium Dei Salvatoris nostri et Jesu Christi spei nostrae*: 3^o. de Charitate ex 1. ad Cor. 16. 22. *Si quis non amat D. N. J. C. sit anathema*: 4^o. de Genuflexione ex Ep. ad Philip. 2. 9. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur etc.* 5^o. de Adoratione ex Ep. ad Hebr. 1. 6. *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*: 6^o. de Invocatione ex Act. 4. 12. *Non est aliud nomen sub caelo, in quo nos oporteat salvos fieri*: 7^o. demum de aliis quaevis officiiis ex Joan. 5. 22. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*; ergo.

347. Dico III. Tertia in Divinis Persona est verus Deus.

Prob. Cui tribuuntur nomen, natura et attributa veri Dei, ille est verus Deus: sed tertiae in Divinis Personam ea tribuuntur in Scripturis; ergo.

Prob. 1^a. p. min. Dei NOMINA sunt DOMINUS 2. ad Cor. 3. 16., SPIRITUS JOAN. 4. 24. PARACLITUS JOAN. 14. 16., et CHARITAS 1. JOAN. 4. 8. Haec vero nomina tribuuntur tertiae Personam; ut de prioribus patet ex infinitis Scripturae locis, quibus *Spiritus Dei, Spiritus Domini, Spiritus sanctus* appellatur:

de posterioribus autem ex Joan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam a Patre, et ibid. 16. 7. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; Item juxta sensum S. AUGUSTINI L. 13. de Trin. c. 17. n. 31. ex 1. Joan. 4. 7. Caritas ex Deo est; ergo.*

*Prob. 2^a. p. De quo Scriptura asserit et explicat id quod de Deo vero dixerat, ille NATURAM DIVINAM habet; cum prædicata plane eadem nequeant verificari in duobus, nisi saltem natura identificatis: sed Scriptura asserit et explicat de tertia Persona id quod de Deo vero dixerat; dum Isa. 6. 8. et 9. dictum erat: *Audivi vocem Domini dicentis... et dixit: Vade et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere; dein Act. 28. 25. dicitur: Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis et non intelligetis etc. Similiter dum Psal. 77. 41. scriptum fuerat: Tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt; apud Isaiam 63. 10. legitur: Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum sancti ejus: Item ubi Act. 5. 3. Petrus dixerat: Anania! cur tentavit satanas cor tuum, mentiri Spiritui sancto? mox v. 4. subdit: Non es mentibus hominibus, sed Deo: Nec aliter postquam Paulus 1. ad Cor. 12. 6. scripserat: Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus; deinceps v. 11. subjungit: Hæc autem omnia operatur unus idemque Spiritus, dividens singulis, prout vult; ergo.**

Prob. 3^a. p. Tertie Personæ tribuitur 1^o. Immensitas Sap. 1. 7. Spiritus Domini replevit orbem terrarum; 2^o. Omniscientia 1. ad Cor. 2. 10. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei; 3^o. Omnipotentia Psal. 32. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum etc.; ergo.

Conf. Qui cum Patre et Filio æqualis est in CHARACTERIBUS, OPERATIONIBUS et HONORIBUS divinitatis, illis est æqualis ac verus Deus; sed Spiritus sanctus seu tertia Persona sic est æqualis; ergo.

*Prob. 1^a. p. min. CHARACTERES divinitatis, facientes æqualitatem cum Patre et Filio, sunt expressa INVOCATIO in formula Baptismi, COLLATIO GRATIÆ sanctificantis, INHABITATIO in creaturis intellectualibus tanquam in templo, et CONSTITUTIO ac MISSIO ministrorum Dei: 1^{um}. quidem; quia in formula fidei professionis, quæ tantum in Deum tendit, non alterius quam ipsius Dei nomen invocari potest: 2^{um}.; quia creatura creaturam sanctificare nequit: 3^{um}.; quia soli Deo templum debetur, isque solus in creaturas illabi potest: 4^{um}.; quia creatura ministros Dei constituere aut mittere nequit. Sed CHARACTERES isti deteguntur a Scriptura in Spiritu sancto; 1^{us}. Matth. 28. 19. *Baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; 2^{us}. ad Rom. 5. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; 3^{us}. 1. ad Cor. 6. 19. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est? 4^{us}. Act. 13. 4. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto etc., item Act. 20. 28. In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; ergo.**

*Prob. 2^a. p. I. EX OPERIBUS NATURÆ tribuitur Spiritui sancto 1^o. CREATIO, Psal. 103. 30. *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terræ; CONSERVATIO, Job. 26. 13. Spiritus ejus ornavit cælos; et Psal. 32. 6. Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum; 2^o. EFFECTIO MIRACULORUM 1. ad Cor. 12. 11. Hæc autem omnia (dona miraculorum) operatur unus atque idem Spiritus,**

*II. EX OPERIBUS GRATIÆ 1^o. REMISSIO PECCATORUM Joan. 20. 22. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; 2^o. SANCTIFICATIO et JUSTIFICATIO 1. ad Cor. 6. 11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine D. N. J. C., et in Spiritu Dei nostri; 3^o. PRÆDESTINATIO et GLORIFICATIO ad Rom. 8. 16. et 17. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. v. 11. autem præmittitur: Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis; ergo.**

*Prob. 3^a. p. HONOREM DIVINUM Spiritui sancto deberi, colligitur 1^o. ex NATURÆ supra omnem captum EXCELLENTIA Joan. 14. 17. *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; 2^o. ex PECCATI contra illum summa MALITIA Matth. 12. 32. Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei; 3^o. ex GLORIA demum FINIS ULTIMI et BEATITUDINIS 1. Petr. 1. 12. Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant angeli prospicere; ergo.**

*348. Obj. I. Solus et unus Pater est Deus; ergo Filius et Spiritus sanctus dici Deus nequeunt. Antec. constat ex Joan. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum; item ex 1. ad Cor. 8. 6. *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum; et ad Ephes. 4. 5. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Patet Cons., quia ex vi exclusiva particularum solus et unus excluduntur omnes a participatione prædicati, qui non sunt Pater.**

*R. N. vel D. A. Solus et unus Pater est Deus, τὸν solus et unus appellante Patrem N. appellante Deum subd. ita ut excludantur Dii plures et falsi C. ita ut excludantur plures Personæ N. τὸ unus in posterioribus textibus connecti cum Deo, patet ex ipsa lectione; τὸ solus autem in priori similiter pertinere ad unum Deum, non vero ad Patrem, liquet ex Græco, ubi inter te et solum Deum verum, interponitur articulus, ὁ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. unde propositio sic enuntianda est: Pater est ille solus et unus Deus. Cæterum illos textus spectare duntaxat ad excludendam multitudinem et falsitatem Deorum, non vero Personarum pluralitatem ac divinitatem, intelligitur ex eorum sensu ac contextu. Etenim Joan 17. describitur fides practica, seu comparandæ vitæ æternæ modus; qui est, ejurata Deorum multitudine, unum Deum confiteri, et Christi doctrinam ac Religionem sectari, ut explicat S. IGNAT. in ep. ad Magnes. n. 8. de Christo scribens: *Qui erant increduli certi redditi sunt, quod unus sit Deus, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, et repetit Paulus in ep. 1. ad Thessal. 1. 9. Quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de cælis etc. In ep. autem ad Cor. immediate præmittitur: *Nam etsi sunt, qui dicuntur Dii, sive in cælo sive in terra (siquidem sunt Dii multi et Domini multi); nobis tamen unus Deus etc. Demum hoc textu inanes Gentilium, Simonis Magi, et Valentini Deos perstringi, advertunt Hieron. et Theophylactus. Præterea etsi permetteretur, particulas solus et unus afficere ipsum Patrem; iisdem tamen personæ duntaxat alienæ***

et extraneæ, falsorum nempe Deorum, non autem internæ Deo et Patri con-
substantiales excluduntur; tum quia vis exclusiva harum particularum non
est semper universalis ac omnimoda, ut ex 1. Machab. 10. 70., ex Luc. 9. 36.,
ex Joan. 16. 32. et aliis liquet: tum quia alias solus Jesus, non vero Deus,
esset Dominus; cum et hæc vox isti soli tribuatur in textu secundo.

Inst. 1. Ubi in Scriptura mentio fit plurium Personarum, solus Pater
vocatur Deus; ut patet ex 1. ad Cor. 12. 4. et seqq. *Divisiones gratiarum
sunt; idem autem Spiritus; et divisiones ministrarionum sunt; idem vero
Deus:* et ex 1. ad Tim. 2. 5. *Unus Deus; unus mediator Dei et hominum,
homo Christus Jesus:* Idem quoque fit in Symbolis; nam in illo Apostolo-
rum dicitur: *Credo in Deum Patrem... et in Jesum Christum filium ejus
unicum Dominum nostrum... Credo in Spiritum sanctum.* In Patrum Sym-
bolo autem sic habetur: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem... et in
Spiritum sanctum Dominum et vivificantem;* ergo et ille solus Deus esse
videtur.

R. D. A. Solus Pater vocatur Deus secundum substantiam et veritatem
divinitatis *N.* secundum proprietatem et singularitatem principii *T.* Nec
soli Patri, sed et cæteris Personis, prædicatum et rationem Dei asserti in
Scripturis, satis supra ostendimus: nec Patrem solum laudatis in textibus
nominari Deum, penitus evinci potest. Potius enim contextus declarat,
1^{um}. locum agere de tertia Persona, cui ob munus triplex gratiæ, mini-
strationis, et operationis, triplex illa appellatio Spiritus, Domini, ac Dei tri-
buitur; 2^{um}. autem loqui de Deo adæquate sumpto, seu in tribus personis
subsistente, sicut de mediatore tanquam Deo-homine, et sic Christo adæ-
quate sumpto, loquitur. Tametsi vero nomine Dei compellatum hic solum
Patrem demus; id tamen factum fuit juxta S. DIONYSIUM P. a S. ATHAN. cit. L.
de Dec. Nic. Syn. n. 26. et NAZIAN. Carm. 3. de Spiritu sancto v. 54. et seqq.
ut prædicatio Ecclesiæ de monarchia et unica divinitatis ac omnis entitatis
origine, fonte, ac principio, qui est Pater, diligentius inculcaretur. Cui
accessit prudens quædam œconomia, et a S. Paulo in 1. ad Cor. 2. 3. com-
mendata, et a Patribus antiquioribus usurpata, qua cavebatur, ne trans-
latis a multiplici divinitatis errore Neophytis arcanum Trinitatis mysterium
statim apertius offerretur. Ob utramque rationem geminum Symbolum
ea, qua legitur, formula adornari oportuit; quoniam id scriptum tradebatur,
etiam ab absentibus legendum. In eodem quia prædicatum Domini tum
Filio tum Spiritui sancto tribuitur, observandum est effatum AMBROSI in
Cap. 1. ep. ad Galatas v. 3.: *Nec minorem Filium significat, cum eum Domi-
num nostrum vocat; nec Patrem majorem, quia eum Deum nostrum appellat:
quia non erit verus Deus Pater, nisi et Dominus sit; neque verus Dominus
Filius, nisi et Deus sit.*

Inst. 2. Soli Patri sic tribuuntur quædam divinitatis attributa, ut ab iis
reliquæ Personæ excludi videantur. Nam Marc. 10. 18. Christus ait: *Quid
me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus;* 1. ad Tim. 6. 16. *Qui solus
habet immortalitatem;* et ad Rom. 16. 27. *Soli sapienti Deo per Jesum Chri-
stum, cui honor et gloria etc.;* ergo.

R. 1^o. N. A. Hac enim propositione hujusmodi attributa videntur reliquis
Personis auferri, ut adeo nec bonæ, nec immortales, nec sapientes sint;
quod tamen Hæreticorum nemo dixerat, utpote qui Filium sapientiam

Patris, et Spiritum esse sanctum, utrumque immortalem ac Deum etiam,
sed minus proprie, confitebantur. Si vero propositio sic accipiat, ut hæc
attributa singulari quadam ratione ad Patrem perlineant (quatenus nempe
Pater bonitatem, immortalitatem, et sapientem habeat a se ipso, Filius vero
a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre Filioque communicatam teneant) verum
quidem sensum, sed a communi verborum intelligentia alienum, habet.
Hinc

R. 2^o. D. Soli Patri secundum naturam tribuuntur prædicata divina sic, ut
videantur a reliquis excludi *N.* soli Patri secundum personæ proprietatem
tribuuntur *subd.* ita ut videantur excludi a reliquis Personis simpliciter *N.*
singulari tantum habendi modo, nuper explicato *C.* Textus nihil contrarii
probant. In primo quidem, quoniam juvenis, qui Christum compellaverat
bonum, illum putaverat quidem doctrina et bonitate excellentem, cætero-
rum tamen hominum similem, Christus hunc corrigens de sua divinitate
instruxit recitatis verbis, quorum is sensus est: me Deum non putas, et
tamen bonum dicis; solus autem Deus per excellentiam bonus est; ergo vel
bonum me non appella, vel Deum me esse crede; ita ATHAN. de Incarn. et
cont. Arian. n. 7., NAZ. Or. 30. n. 13., S. BASIL. L. 4. cont. Eunom. n. 3.
(p. 291.) HILAR. L. 9. de Trin. n. 16. AMBR. L. 2. de Fide. c. 1., AUGUST. in
Ps. 117. n. 2. In secundo autem et tertio textu sermonem esse, non de Patre
solo, sed de Trinitate, ACC. L. 1. de Trin. c. 6. et L. 2. cont. Maximin. c. 13.
ex ipso contextu ostendit, ipsaque etiam attributorum ratio declarat; quæ
si essentialia sunt, particulæ exclusivæ remonent tantum alias essentias:
si notionalia sunt, excludunt personas, ut axioma Theologicum docet.

349. *Obj. II.* Filius in Divinis est creatura; ergo non est Deus. *Prob. A.*
1^o. Quia in Scriptura dicitur sapientia esse creata; Prov. 8. 22. *Dominus
creavit me in initio viarum,* et Eccli. 24. 14. *Ab initio et ante secula creata
sum.* 2^o. Quia Christus dicitur factus; Joan. 1. 15. *Qui post me venturus est,
ante me factus est,* et ad Hebr. 1. 4. *Tanto melior angelis effectus.* 3^o. Quia
inter creaturas refertur; ad Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, pri-
mogenitus omnis creature;* ergo.

R. N. Ad prob. 1^{am}. D. Sapientia in genere seu indistincte sumpta pro
creata seu incarnata, et pro increata *T.* sapientia increata *subd.* dicitur creata
strictè ac proprie *N.* late *C.* In utriusque Libri capite laudato plura sunt,
quæ creatæ seu incarnatæ Sapientiæ congruunt, alia autem increatæ tantum,
non vero incarnatæ conveniunt, uti Prov. v. 3. *Cum eo eram cuncta compo-
nens etc.* et Eccli. v. 6. et 8. *Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens:
gyrum cæli circumivi sola, et profundum abyssi penetravi etc.* Sapientia scilicet
generatim accepta, et maxime ingenii operibus præsidens, hic a Salomone
per prosopopœiam inducitur, cui dum pro diversitate specierum, quas sub
se continet, prædicata diversa adscribuntur; nec contradictio inde nec con-
trarium nobis argumentum nascitur. Vox *creavit* in Prov. nec in fonte He-
braico nec in versione Latina habetur, sed vox *possedit*, quæ ex Gen. 4. 1.
significat generationem: potuit autem in Græcæ 70. Interpr. versionem
loco ἐκτίσσει, *possedit*, ex scriptoris vitio facile irrepere ἐκτίσσει, *creavit*. Præ-
terea Græcum κτίσειν et Latinum *creare* nec semper nec necessario pro
productione ex nihilo adhibetur; cum et filii et magistratus et urbes